AD PAVLVM CAMILLVM SFONDRATVM

3

S. R. E. Card. Amplissimum.

IANI PELVSII CROTONIATAE
APHTOSCHEDIASMATA.

PARMAE. Apud Erasmum Viothum,
Permissu Superiorum. 1591.

PAVLO CAMILLO SFONDRATO S. R. E. CARD. AMPLISS.


Ianus Pelusius Crotoniata Salutem D.



VPERIORIBVS diebus in communi nostra omnium Aulicorum lætitia, non potui me continere, quin conceptũ gaudium, nouamq; nostri Herois dignitatem Latinis odis patefacerem, posterisq; testatam relinquerem. Eodem ipso tempore, feruente adhuc ingenij calore, & Musa canendi materiam suggerente, hæc Aphto schediasmata eadem facilitate, & natiua quadam fluente vena effudi: quib. Amplitudinem tuam hanc ob rem donare volui: quod Patruus tuus Pontif. Opt. Max. cum sua sponte, & voluntate, tum tua cura, & opera in primis excitatus, Odoardum Farnesium Princip. Sereniss. in collegium summorum Patrum cooptauit, atq; in ampliss. Ordinem asciuit. Quando igitur Farnesiorum Procerum es studiosissimus, Pelusium illorum seruulum, & Odoardi præceptorem in tua fide, & clientela obsecro esse sine: & qualiacunq; sunt hæc ingenioli nostri, & in te obseruãtiæ monumenta humaniter accipe. Si ita feceris, vt meliora dem, animos addideris. Vale. Parmæ Nonis Aprilis M. D. LXXXXI.

AD

AD PAVLVM CAMILLVM
Sfondratum S. R. E. Card.
Amplissimum.



SFONDRATE sacræ gloria purpuræ,
Et Vaticani præsidium chori,
Insubrium quo gens alumno
Magnus & Eridanus superbit,
Non absq; sancto numine Cælitum,
Summus Sacerdos Patruus est tuus
Hoc perdito seclo creatus:
Quod scatet omnigenis periclis.
Claros Quirites dira premit fames,
Aequoq; pulsat celsa palatia,
Casasq; viles fuste, gazis
Nescia vel lacrymis moueri.
Quamuis supersit flaua pecunia,
In Adriani mole recondita
A Patre Xisto hos ante ad vsus:
Dona tamen Cereris paramus
Nusquam locorum, Christicolæ Duces
Quos iure torquent; gratia ni pluat
Ex arce cæli: cuncti ad vnum
Oenotrij pereunt coloni.
Sicana tellus quum daret vberes
Messes quotanuis, nunc alimoniam
Ab oppidis poscit remotis:
Esurit & Calaber propinquus.
Et qui solebat frugibus antea
Implere largis horrea, & exteras
Nutrire Garganus cateruas,
Vix reficit proprios agrestes.
Egent Hetrusci, dedita ritibus
Gens Prisca veris, & Cererem vehunt
Abusq; postremis Batauis,
Per freta veliuolis carinis.
Gallus togatus præ nimia fame,
Fulcire ventrem gramine cogitur
Non consueto, & inde vitam
Deserit, ac tegitur sepulchro:

Vt multa curto carmine colligam,
Ira Deorum tota eget Ausonis,
Peritq; passim per plateas,
Lethiferis miseranda morbis.
Tot hisce damnis; & grauibus malis
Accedit, hostis Turca quod impiger
Quiritibus cædem minatur,
Et Patribus Venetis catenas:
Armata classis milite barbaro,
Iam soluit Helles faucibus e maris,
Petitq; Creten centimembrem,
Et Iouis Aegiochi parentem:
Et ante pubis Threiciæ manu,
Vt occupauit Cypron amabilem:
Sic improbus regnis auitis
Iungere Gnossiacas secures
Fidit: sed ausis tam temerarijs
Ibit Senatus prouidus obuiam,
Ad Actiumq, Marte victum,
In medijs lacerabit vndis.
Arua igne vastant & chalybe exules,
(Inuisa Diuis turba potentibus)
Viamq; cæsorum recenti
Aemiliam inficiunt cruore:
Et Rex anhelat sceptra Lutetiæ,
Fascesq; regni, non bene de Fide
Qui sentit, & spretor Deorum,
Centimano est similis giganti;
Fretus Britannis, quos mulier regit
Elisa, Mauris sæuior anguibus,
Amicà Baccho, amica mæchis,
Consilijs inimica rectis,
Sperat potiri diuite Gallia:
Sed errat amens; nam Trebia potens
Parmaq; Princeps, Dîs amicis
Fulmineo iugulabit ense,
Et liberabit Celtigenas patres
Ab efferatis gentibus: ac trucem
Viraginem cæsis Britannis,
Supplicio afficiet supremo.

Tu Paule donec Max. Opt.
Orat Triados numina Pontifex
Pro ciue Christiano, & agnos
Hostis ab insidijs tuetur,
Heros Atlanti fecit vt Hercules,
Laborioso pondere siderum
Quum pene fesso, fulsit æthra
Vertice supposito cacumen,
Capesse regni munia maximi,
Onusq; firmo robore sustine,
Et mente prudenti ruentis
Imperij moderare habenas.
Est nota cunctis vis sapientiæ
Tuæ, nec vllus ciuis, & exterus
In vrbe nescit : ipse quantum
Consilio valeas, & ore.

Ad Gregorium XIIII. Pontif. Opt. Max.

SFONDRATE *Diuûm numine Pontifex,*
Qui Christianis omnibus imperas,
Legesq; figens, & refigens,
Arbitrio moderaris orbem,
Quando procaces Vascones in pios
Parisienses bella iterum mouent,
Henricus & scelestus ardet
Celtidos imperio potiri,
Matura bello tempora dum sinunt,
Occasionem prospere, & optime
Rei gerendæ, ne feras abire
In nebulas, tenues & auras:
Cincti Latinis sint legionibus
Fortes Iberi, sub Duce Strenuo
Parmense, qui Belgas rebelles
Subdidit imperio Philippi,
Tuensq; duro Marte Lutetiam,
Septam prophanis vndiq; copijs,
A Vasconum Regis furore
Eripuit sine clade victor.
Si Quintus olim Max. Opt.
Christi Sacerdos, iunxit Iberiæ

Suos Quirites, & superbis
Scipiadis Venetum Senatum,
Turcasq; vicit Dulichio in mari,
Et tot triremes mersit in æquore,
Quot Persidis quondam Tyrannus
Duxit in Argolidas Dynastas;
Præfectus Heros quum triplicis foret
Classis, Latinos ante alios Duces,
Graiosq; maior bello, & armis,
Austriadæ Caroli propago.
Si tu Quirites fœdere iunxeris
Regi Philippo, & duxerit agmina
Parmensis Heros bellicosus,
Victor ages celebrem triumphum.
Res inuolutas, & nimis arduas
FARNESIANAE perficiunt manus,
Quas Christus æternus tuetur,
Eripit & dubijs periclis.
Et siquis vnquam Palladis artibus,
Armisq; Martis floruit hactenus,
Is est: vt ipse Belga testis,
Herculeo domitus duello.
Extende palmas Max. Pontifex
Cælo supinas, namq; hominum pater,
Diuúmq; Christus te precantem
Audiet omnipotens ab alto.
Res magna, forti fidere militi,
Et res tuenti Christiadum manu:
Sed maior in votis, pijsq;
Vis precibus, lacrymisq; sanctis.

Ad Gregorium XIIII. Pontif. Opt. Max.

O QVI *Sacerdos Summus & Opt.*
Es constitutus numine Cælitum
In sede Petri, & Vrbe Roma
Christiadum Pater, atq; Custos,
Donec salubri gramine paueris
Oues, & agnos prata per herbida,
Fœtas nec vrsas, nec leones,
Nec virides metuent colubras;
Romana quantis gens premitur malis

De

De Vaticano culmine respice,
Opemq; da precor, priusquam
Dira fames adigat sub harpen
Parcæ rapacis: tecta Lutetiæ
Ab impiorum faucibus eripe,
Qui sceptra Regni concupiscunt,
Funus & imperio minantur.
Vindex seuerus ni fueris pater
Tot Barbarorum: robora Vasconum
Parisienses res, & vrbes,
Teutonicis opibus refringent,
Bonosq; ciues Marmaricus leo
Vt molle rictu dilaniat pecus:
Sic scindet Henricus proteruus,
Peior & Encelado gigante.
Sæuus Tyrannus Threiciæ plagæ
Qui classe cepit Cypridos insulam,
Sititor est nostri cruoris,
Et Fidei capitalis hostis:
Fac Rex Philippus magnus Iberiæ
Forti triremes remige compleat,
Clangore fac præco tubarum
Vulget iter Libycas ad vrbes:
Hinc post Tuneti vt mœnia reddita
Hero priori, dirigat in Scythas
Suas phalanges, & Tyranno
Othomano inijciat catenas;
Qui per tot annos seruitio premit
Graios: secundis rebus & ebrius,
Molitur Adriæ supremum
Funus, & Hesperiæ ruinam,
Hellesq; ponti faucibus incubans,
Christi sepulchrum possidet, & bibit
Iordanis vndas: occupatq;
Quæ tumidus rigat arua Nilus.
Et hinc Molossos, hinc Numidas trahens,
Propinqua ponto territat oppida,
Tutusq; classe formidanda,
Threicijs dominatur oris.
Fac vt Philippi Regis Iberiæ

Pauore, se se contrahat, & fugam
Capessat vltro trans Gelonos,
Trans Tanaim, & rigidum Niphatem.
Videre forteis iam videor Duces,
Victoriosæ munus adoreæ
Armis apisci, iam cremari
Aspicio Scythicos penates:
Cerno Sabæis de regionibus
Portare nautas thurea munera
Cum torridæ Zonæ colonis,
Ad Latium, Dominamq; Romam.
Iberus oris victor in omnibus,
Virtutis ergò præmia postulat,
Aut ære de fuluo lebetas,
Aut tripodas, aliosuè honores,
Tibiq; grates innumeras agit,
Authore quod te fuderit agmina
Gentis ferocis, & superbum
Duxerit ad patriam triumphum:
Dein hæc Camænis suaue canentibus,
Pandet futuris facta nepotibus:
Et te per omneis orbis oras
Pontificum decus esse dicet.

Ad Io. Antonium Pisanum huius ætatis medicorum principem.

DVLCEM *Calliope lyram*
Suspensam trabibus suscipe, & incipe
Mecum reddere debitas
Grateis Cælicolis, & Patri Apollini.
Pisanus medicamine,
Nigrum moly sacer Mæonides vocat,
Appellas panacem Maro,
Pulsis e cubito ad Bactra doloribus:
Memet restituit mihi,
Et me Pierio reddidit agmini:
Quod morbi feritas domo
Vsq; ad stagna Stygos lucis egentia
Præceps egerat. horrida
Iam me nec macies, nec dolor occupat:
Iam Bacchus sapit, & Ceres:

Et post

Et post longa meo tempora brachio
Plena est reddita sanitas.
Implete Aesarides æthera cantibus
Nymphæ, & tangite barbiton,
Ianus viuit adhuc sospes, & impotens,
Et sub tegmine laureo,
Qua se tollit humo Diua Lacinia,
Vectat Pierijs rotis
Lauræ progeniem sidera ad aurea.
Si me diligitis Deæ,
Afferte huic homini serta virentia,
Grati signa animi mei:
Et miscete sacro Pegasidum choro.
Vos pupæ, & pueri integri,
Quorum grata Deo carmina maximo,
In templo, & medio foro
Vt Diuum meritis tollite laudibus,
Et pulsa inuidia procul,
Hunc Coo medico dicite Delia
Maiorem cithara: Iouis
Id sic esse docet filia veritas.
At tu cura medentium,
Et spes doctiloquæ magna Neapolis
Pisane, Aeolia chely
Summum Pontificem quam potes euehe:
Eius namq; elegans Nepos,
Ac lux purpurei, & præsidium chori,
Et quod dicere debui
Primum, aures Patrui, claraq; lumina,
(Vt vox vna Quiritium est)
Debebit numeris perpetuo tuis:
Atq; alter velut Hercules
Suppostis humeris sidera fulciens,
Vna cum Patruo optimo
Orbis sceptra reget, pondus & imperi.

Ad Romam.

IN septicolli posita cacumine
Aui secunda, & sydere prospero
Ab Iliæ, Martisq; prole
Roma parens generosa Regum,

Quæ

Quæ tot creaſti patria Cæſares,
Tot laude belli Dis Proceres pares,
Ducesq; magnos, Conſulesq;
Palladijs ſtudijs, & armis
Illis priores Semideis; olor
Quos Mantuanus tollit ad æthera,
Doctusq; Homerus cantat eſſe
Præſidium; & columen Pelaſgis,
Inuſitatis laudibus euehe
Rerum parentem, qui prece ſupplice,
Votisq; Romuli nepotum,
Iuſtitia, & pietate clarum
Conceſſit almum Pontificem tibi:
Sub quo per omnes relligio locos
Florebit; hæreſiſq; tetra
A Batauis fugiet profanis,
Et derelinquet Teutonicos greges,
Linguaq; forteis Saxonas & manu:
Nam vecta Pegaſo reuiſet
Aethiopas, Arabaſq; molles.
Regina priſcæ ſæua Britanniæ,
Ponet nefandis flagitijs modum,
Et deſinet tandem pudendis
Opprobrijs maculare Diuos;
Amplexa ſanctam Chriſtiadum fidem,
Virûmq; in albo ſcripta fidelium,
Cum ſubditis ſuis ſacrorum
Pontificum rata iuſſa habebit:
Ac templa Chriſti diruta funditus
Ab inſolenti milite, ſtrenue
Cum pube curabit piorum
Auſpicio meliore ſurgant.
Germanus armis inſuperabilis
Inſanientis ius ſapientiæ
Recidet, & menti tenebras
Quas tulerat ſinuoſus error:
Ad ſe reuerſus nam ſapiet ſibi,
Veroſq; cultus, dogmata & aurea,
Ritu relicto peſtilente,
Ad patrias reuocabit oras.

Pariſienſes

Parisienses lumina Galliæ,
Regis Philippi viribus additi,
Et copijs tuis, tuisq;
Romulidis patre Marte natis,
Quos ducet Heros strenuus HERCVLES
(Alter malorum pulsor vt HERCVLES)
SFONDRATVS, *ense sic Molossis,*
Vt Numidis metuendus hasta,
Cunctis ab oris Celtidos improbo
Cum Rege pellent agmina Vasconum
Adusq; Ditis antra, adusq;
Persephones taciturna regna:
Lætiq; Regi sceptra dabunt nouo,
Qui Christianos protegat, & fidem
Ab vltima Occidentis ora
Proferat ad populos Eoos.

Ad Viros Christianos.

GAVDETE *gentes qui colitis Deum,*
Qui nos redemit sanguine proprio
A morte, & igne sempiterno,
Qui in Barathro cruciat profanos:
Christi Sacerdos Max. Opt.
Petri carinam dum reget in mari,
Campos arabit vsq;, & vsq;
Aequoreos Zephyris secundis.
Aduersus Auster surgat, & Africus,
Salsiq; turbent marmora gurgitis
Quantum libet: portum cupitum
Cymba Petri incolumis tenebit.
Nil cincta monstris Scylla voracibus,
Nil quæ sueuit mergere nauitas
Cum puppibus Charybdis, illi
In tumido pelago nocebit.
Regente clauum GREGORIO, *Noti*
Eludet ausus: Acroceraunia,
Symplegadasq; in transtra temnet
Cursibus oppositis ruentes.
Hic namq; Typhi sidera rectius
Nascentis hædi non bona nauibus,
Atq; Orionis nouit astrum

Innocuis

Innocuis nocuum carinis.
Et vt potentum lingua Quiritium,
Ac penna vatum, & Pieridum lyræ
Passim loquuntur, regna iussis
Christiadum moderatur æquis:
Graui nocentes supplicio afficit,
Dignis merentes tollit honoribus,
Astræa poscit vt seuera,
Et Nemesis studiosa recti.
Est magna virtus Principis optimi,
Aequa popello lance rependere
Et præmia, & pœnas: salubrem
Hæc etenim medicina morbis
Affert medelam. cælifer Hercules
Quod tot latrones sustulit, & feras,
Et tot tyrannos, totq; monstra,
Filius est habitus Tonantis.
At ipse Christi cuncta Vicarius
In Vaticano colle sedens regit,
Orcumq; prauis, astra iustis
Dans, animas ligat, atq; soluit.
Dicende vati Mæonia tuba,
Aut Mantuana Max. Pontifex,
Incumbe laudi, incumbe famæ,
Atq; tuos populos tueri.
Sic perge; magnus grandia sic Deus
Tibi rependat præmia, & amplius
Cum mente sana det senectam
Degere, nec requie carentem.
Si mi supersit vita, nec improbus
Morbus dolores auxerit; in solo
Tollam paterno te quadrigis
Aonijs per inane magnum:
In Cispadanis vel regionibus
Tuos honores versibus eueham,
Chelyq; nomen: nam canenti
Materiam mihi Musa subdet,
Sic alta virtus, sic pietas tua,
Sic litterarum cognitio exigit,
Et sancta vita, qua coruscum

Te vi-

Te video radiare vt astrum.
Tu rector orbis, Tu Pater Optime
SFONDRATE, summum Pontificum decus,
Pelusij sonum Camœnæ
Auribus accipias benignis.

In Exules.

LAVERNIONES prôh scelus impudens?
Lucente Phœbo, Flaminia in via
Ter mille in horas morte multant,
Deinde cibum canibus relinquunt:
Fures rapaces perniciem in virûm
Erinnys armat: Mars ferus incitat:
Bellona adurget: cura prædæ
In scelera exitiosa trudit:
Non obligati relligionibus,
Gaudent soluti viuere legibus,
Per tesqua passim, tum fruisci
Cum Satyris dapibus ferinis:
Neroniano more pecuniam
Et his, & illis vt libet, imperant:
Quot imperata non facessunt,
Ceu teneri iugulantur agni,
Vel rura perdunt, vel proprios greges,
Exire tectis nec licet amplius:
Dehisce Terra, & hos tyrannos
Deuehe Tartareos ad angues.
Periculosum est ne pereant boni
Mores, verenda & relligio Dei:
Impura ni labes facessat
Ad Barathrum, Barathriq; sordes.
Nam dum colonis exitium parant,
Et ære multant scrinia diuitum,
Res turbulentas machinantur,
Atq; acuunt Acherontis iras.
Pellatur ergo barbaries procul,
Infesta cunctis barbaries viris,
Et quot Dynastæ, vel Tetrarchæ
Barbariem auxilio focillant.
Ad hos latrones vndiq; confluunt,
Quot sancta iuris pellit ab vrbibus

Tutela: quot iuuat rapina,
Et gladios scelerare cæde.
Castris locatis vertice in arduo,
Audent vocare ad prælia Martios
Remi nepotes: qui tot annos
Regna tenent potiora mundi.
Sicariorum sed manus impia
Dignum nefandis supplicium dabit
Ausis; prehensa, & cæsa pascet
Visceribus rapidas volucres.
Hac peior armat robora Vasconum
Henricus Heros, & sibi vendicat
Parisiensium tiaram
Sidere, & auspicijs sinistris.
Quid arma tractas? perdite quo ruis?
Non regna iusti Dî tibi destinant
Digno, trecentæ quem Chimæræ, &
Mille premant Furiæ sub Orco:
Relictus hæres legitimus fores,
Ni insanientis vim sapientiæ
Quam prædicant Lutheriani,
Vnguibus a teneris bibisses:
Quando ergo tanti causa tibi es mali:
Tuæq; culpæ non alius faber,
Quam tu: relinque stulte tandem
Cæpta, quibus Superi repugnant.
Non Diua gratum quæ regit Antium,
Dat sceptra regni, stemmata & imperi,
Sed ille Christus, Christus ille,
Cuncta supercilio gubernans.
Tun' Rex Lutheri quem iuuat hæresis,
Des iura Gallis nomine fulgidis
Tam Christiano, quam quis vnquam
Floruit æthereo sub axe?
Henrice demens quærere desine,
Cur regna Christus transferat, vt libet:
Sunt abdita hæc; Sotherq; Christus
Denegat Oedipodis futura.
Sat Musa de tam rege Nefario:
Manum supremam pone operi, & scopum

Feri

Feri sagittis destinatum:
Arcus hebet, tenuisq; chorda est.

In Exules.

QVID *ter scelesti, ter temerarij,*
Tot immerenteis cæditis hospites,
Quot atterunt viam quieto
Flaminiam pede, vel quadrigis?
Errauit acer Spartacus Italæ
Gentis per oras cum legionibus
Multis, sed obuios colonos
Abstinuit lacerare ferro.
Vos (vt furentes per pelagus Noti
Mergunt sub vndis pontigradas rates)
Dulces amicos, æque & hostes
Vt segetes metitis virentes.
Priuatis vrbes ciuibus; ignibus
Vastatis agros: tollitis incolas:
Velutq; Titanes proterui
Bella Ioui, & Superis mouetis.
Non hæc flagellis facta trium virûm,
Nec digna palo, nec cruce, nec rota,
Sed Cerberi rictu trifaucis,
Ditis & anguicomis ministris:
Pœnas luetis sanguine debitas
Ausis: nefandam nam Pater Opt.
Propaginem radice ab ima
GREGORIVS *gladio recidet,*
Et insepultos vulturijs cibum
Vos derelinquet per medias vias,
Ne facta gentis tam profanæ
Posteritas legat in libellis:
Pompeius Heros laudibus inclytus
Purgauit vdæ marmora Tethyos,
Tot efferos tollens latrones,
Quot regio tulerat Cilissa:
Idemq; fregit cornua Spartaci
Immaniorum principis exulum,
Delere quæ Crassus nequiuit
Ditior ante alios Quirites.
Ausosq; montes montibus additos

Olim

Olim gigantes Thessaliæ in iugis
Aequare cælo, & hinc præustis
Cælicolas sudibus ferire,
Inuictus omni cum Superûm manu
Nitente ab æthra fulmine Iupiter
Ter mole disiecta per agros,
Sub Stygias tenebras adegit.
Sic noster orbis maximus arbiter
SFONDRATVS, *omneis glandibus æneis*
Vos ter nefandos funeratos,
Obruet horrificis procellis.
Audetis atris sub nemorum comis
Creare Summum Pontificem, & Dei
Iactare corpus consecratum,
Et pedibus terere vt racemos.
Non hæc Apellæ, non profugi Scythæ,
Non inquieti Teutones, aut Getæ,
Nec orbe diuisi Britanni,
Aut Libyæ facerent coloni.
Damnaret isthæc facta nefarius
Scinis, Procrustes, & Phalaris ferus,
Artusq; viuos qui vorabat
In Siculo Polyphemus antro.
Gens fulta pectus Manibus Inferis,
Inuisa quantum ciuibus est fames,
Aut pestis, aut furor Gradiui,
Quum facibus populatur agros,
Ni vos (salutis tempora dum sinunt,
Et sancta poscunt dogmata Cælitum)
Megæra quot menti refundit
Pæniteat scelerum: potenti
Non vos retundet Bellerophon manu,
Qui sæuientes vicit Amazonas,
Flammisq; vallatam chimæram,
Vectus equo genito ex Medusa:
Sed ille Christus, qui imperium tenet
In arce cæli, nube silentij
Reconditos, telo trisulco
Trudet ouans Erebi sub vmbras.

FINIS.